

Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 107

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Heinricus divina favente clementia rex. Notum sit omnibus fidelibus nostris presentibus scilicet et futuris, qualiter nos suppliciter postulanti venerabili viro Rothardo Heroluesfeldensis coenobii videlicet abbatи, quia nobis et predecessoribus nostris fideliter servivit, per hoc regale preceptum licentiam concessimus et hoc munus speciale altari sancti Wigberti regia auctoritate stabili perenniter dono contulimus, quatinus idem abbas Rothardus liberam habeat potestatem arbores nutriendi et singulare atque dominicale forestum in ipso loco monasterii Herolvesfeld de silva quae dicitur Eherineurst his terminis et hoc ambitu: id est de aqua Owelaha sursum versus ad montem Salis et inde Milmenebach, inde quoque transversum fluminis ad Reginozeshuson, donec inde perveniatur ad Starcolfeshuson, indeque ad Vuldam in villa quae dicitur Boumbach, de Boumbach ad Breidinge, hinc ad Solium Gumberti, de hoc loco per medium Vuldam et villam quae dicitur Vkeordi ad locum qui dicitur inferior Nuwisazi, inde sursum per Rubach et Hirzlaher et medium aquam quae vocatur Deserta Herafa in Rindaha, donec per eius ascensum veniatur in Wilphaha, inde in fluvium Veneni, hinc ad Hunaha, inde per Hodensasson et Rinaha et Megingozeshuson usque ad hostia fluminum Vuldae et Owelahae, eo tenore, quatinus in hoc silvae et aquarum circuitu nulla regni nostri magna vel parva persona aliquatenus presumat venari aut ullo ingenio feras insequi sub nostrae firmitatis banno regali, nisi cui prefatus abbas Rothardus suique per tempora successores licentiam dederint. Et ut haec nostrae concessionis auctoritas stabilis et inconclusa permaneat, hanc nostri precepti paginam inde conscriptam manu propria roborantes sigilli nostri in pressione insigniri iussimus. Signum domini quarti Heinrici regis invictissimi. Adelbero cancellarius vice Sigefridi archicancellarii recognovi. Data VII. id. iun. anno dominicae incarnationis millesimo LXX, indictione VIII, anno autem ordinationis domni quarti Heinrici XVI, regni vero XIII; actum Berhtestad; in dei nomine feliciter amen.